Adrichem, Christian van: Vrbis Hierosolymae quemadmodvm ea Christi tempore florvit, et suburbanorum eius breuis descriptio: De Locis, Item, Qvae Iesv Christi & Sanctorum Passione ac gestis nobilitata sunt aliarumque insigniorum historiarum breuis Commentarius ...
Köln, 1592 Seite 79

esset; Negotiatorum verò, quòd per eam varię negotiatorum merces à Bethleem, Hebrō, Gaza, AEgypto & AEthiopia inueherentur. Per hanc portam peregrini occidentales vrbem ingredi solebant.

163.

PORTA STERQVILINII seu stercoris, quæ contra austrum portę anguli sita, Solem orientem respiciens, omnes ciuitatis sordes quas pluuia congregare poterat in Torrētem Cedron euomebat: vnde non immeritò sterquilinij siue stercoris nomen accepit. *Neem. 2.3 12. Liran. in Neem 3. Broc. iti. 6. Sa. t. 8. c. 5.*

164.

PORTA TVRRIVM MVLIEBRIVM, septentrionem respiciens. per quam seditiosi in Romanos vrbem obsidentes, excursus fecerunt. *Ioſ. 6. bell. 2. & 5.*

165.

PORTA VALLIS, nomē inde trahens, quod in vallem Iosaphat viam faceret, inter portam sterquilinij & portam auream media fuit, nec longè à foro pecuario & Piscina probatica distans. Quæ & ob hoc etiam Porta Gregis appellari meruit, quòd per hanc immolandi in templo greges in forum pecuarium venales adducerētur. Nunc verò à Protomartyre, qui per eam extra ciuitatem eductus est, & non longè ab eadem lapidatus S. Stephani porta nominatur. *2. Par. 26. Neem. 2. 3. 12. Bro. itin. 6. Breid. 14. Iul. Sal. tom. 8. cap. 5.*

POR-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/adrichem1592/0108
gefördert durch die DFG